

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Bacmeister

Programma In Recitationem Legum

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599447>

Druck Freier  Zugang



R U . Progr. 1629
Johannes Pacmister
Pr. in recitationem legum



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734599447/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599447/phys_0002)



PROGRAMMA
In
RECITATIONEM
L E G U M

P. P.

a.

RECTOR E
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS,
JOANNE BACMEISTERO,
Phil. & Med. D. ac Professore.



R O S T O C H I
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

ANNO c^{lo} I^o CXXIX.

Ru. Bsp., 1629.629



RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOANNES
BACMEISTERUS,
Philosoph. & Medic. Doct ac
Professor.

SAlutari majorum Con-
silio in hac nostra Aca-
demia constitutum est,
ut singulis semestribus
Leges nostræ publicè
recitentur; ne quis ci-
vium nostrorum earum ignorantiam
prætendere possit; & ut omnibus no-
tum fiat, se ad obedientiam Legum
A 2 ista-

istarum esse obstrictos, idque eò magis,
quia Leges hæ nostræ non ex Solonis
aut Lycurgi, sed ex ipsis Natnræ legi-
bus, à Deo menti in prima creatione
impressis, adeoque ex Decalogo, voce
Dei in monte Sinai promulgato, & in
tabulis lapideis insculpto deprompta,
& ad usum Reipubl. nostræ litterariæ
utiliter sint accommodatæ. Etsi autem
decebat omnes homines sua sponte fa-
cere, quæ honesta sunt & recta ratio
præscribit; tamen cum plurimi, vel stu-
piditate quadam ingenij, vel quod fre-
quentius accidet experimur, malitia
& perversitate naturæ, etiam contra
judicium rectæ rationis ruant, & con-
tumaciter multis modis delinquant,
tranquillitatem publicam turbent &
privatorum quoque commodis perti-
naciter resistant, vel noceant. Iccirco
omnino necessarium fuit Leges scri-
ptas,

ptas extare, quæ unumquemque in suo
vitæ genere, de suo officio rectè admi-
nistrando, & de alijs honestis actioni-
bus admoneant, simulque pœnam cer-
tam denuncient iis, qui contra Leges
protervè & petulanter delinquunt.
Nam ex malis moribus leges primum
promanasse nullum est dubium, ubi
verò modestè & sine scelere vivitur,
ubi colitur Pietas, ubi Iustitiæ locus
esi, quorsum ibi Lex feratur? nec sanis
corporibus Medicina quæsita est: nec
sedato cursu sed incitatis extraque ri-
pas diffluentibus aquis aggeres objecti-
sunt. Quare conservandæ & augendæ
Reipubl. causa, & ut esset benè vivendi
norma, Legem inventam esse, nemo
est, qui non intelligat. Undè præclarè
Cicero inquit; Constat profecto ad
salutem omnium, civitatumque inco-
lumentatem, vitamque omnium quiet-

A 3. tam

tam & beatam conditas esse leges,
eosque qui primum hujusmodi scita
fanxerunt, populis ostendisse, ea fe-
scripturos atque laturos, quibus illi af-
scriptis suscepitique honestè beatèque
viverent, quæque ita composita san-
cta que essent, eas Leges videlicet no-
minarent. Longè igitur errant & fal-
luntur, qui legib⁹ libertatem diminui,
& quasi in carcere se constringi falsò
conqueruntur. Nam coerceri Legibus,
non impedit libertatem. Licet lege
prohibente aliquid non possis, quòd
lubet, facere; nihilominus tamen di-
ceris verè liber: & quidem tantò ma-
gis liber, quantò plus lege coaceris.
Quid mirum; cum ipsi Imperatores,
qui scrinium legum in pectore habere
dicuntur, Legibus scriptis se subjiciant,
secundum L. Digna vox C. de legibus,
ubi majus Imperio esse scribitur, sub-
mit-

mittere legibus principatum. Quid igitur nos miseri homunciones conquerimur, quod libertati obsistant? nam & Cicero accuratissimus virtutis censor nihil indignius esse affirmat, quam in Civitate, quae legibus continetur, discedi a legibus. Hoc enim vinculum est dignitatis, qua fruimur in Re-
publ: hoc fundamentum libertatis: hic fons æquitatis; mens & animus & consilium & sententia civitatis posita est in legibus; Ut corpora nostra sine mente, sic Civitas sine lege suis partibus ut nervis, & membris uti recte nequit. Cum vero & hæc Academia nostra certis Legibus sit constituta, sapiens antiquitas sanxit, ut quotannis in regia hac Schola, ea bis publicè prælegantur, ut studiosa juventus ex ijs discat, Academias non esse gigantum aut Cyclopum exercitum, aut Circes stabu-

stabulum, sed Dei templum, in quo ha-
bitet Deus, & assidui sunt casti angeli
qui protegant ac defeudant, infirma
nostra corpora. Hoc sapiens antiquo-
rum institutum, cum & nos observare
debeamus, decrevimus Cras hora I X.
in Auditorio majori recitare Leges A-
cademiæ, ad quarum publicam præle-
ctionem, ut Academiæ jurisdictioni
subjecti frequentes conveniant, & eo
ipso observantiam suam erga Leges
declarent, officiosè rogamus & seriò
mandamus. P.P. sub sigillo Rectora-
tus 6. Octobris Anno dñi I CXXIX.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734599447/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599447/phys_0011)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734599447/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599447/phys_0012)



mittere legibus principia
tur nos miseri homunc
rimur, quod libertati o
& Cicero accuratissimu
for nihil indignius esse a
in Civitate, quæ legibu
discedi à legibus. Hoc
lum est dignitatis, qua f
publ: hoc fundamentum
fons æquitatis ; mens & a
filium & sententia civit
in legibus ; Ut corpor
mente, sic Civitas sine l
bus ut nervis, & membr
quit. Cum verò & hæc
stra certis Legibus sit c
piens antiquitas sanxit, u
regia hac Schola, ex bis
gantur, ut studiosa juve
scat, Academias non e
aut Cyclopum exercitu

